



ΣΤΝΘΕΩ.
Ευφημία μετρική,
quum

RECTORE MAGNIFICO,
VIRO

Admodum Reverendo, Excellentis. & Clariss.

DOMINO

JOHANNNE MAJORE

SS. Theologiæ D. ejusdemq; Professore celeberrimo, & Ecclesiæ JENENSIVM Superintendente vigilantissimo:

ET

Amplissimi Collegi Philosophici p. r.

DECANO,

VIRO Spectabili, Clarissimo & Excellentissimo,

DOMINO

M. JOHAN-MICHAELE DILHERRO

Poët, Laur. Cæs. Oratoriæ in almâ Salanâ PP.
celeberrimo:

VIRO-JUVENI

Clarissimo & Doctissimo

Dn. ANDREÆ STECHANIO,

Beinheimensi-Saxoni, Scholæ Arnstentensium RECTORI dignissimo

Summus in Philosophiâ gradus & insignia Magisterij
JENÆ publicâ solennitate

ad 3. id. Feb. conferrentur,

Decantata à Dnn. Promotoribus, Præceptoribus,
amicis & conterraneis.

ERFFURTI Typis GEORGII HERTZII Anno M. DC. XXXIV.

RECTOR MAGNIFICUS
VIRI
JOHANNES MAJORE

M. JOHANNES MICHAEL OLLIBRICH
VIRI
M. ANDREAS STECHANIUS

SECRETARIUS





I
Techani, longum rigidis exercite fatis,
in portu tandem parca serena quies,
Parca tibi requies post tot tantosq; labores,
atq; Sophum punctis conciliatus honor.
Nunc unum superest: Venus ut consorte jugalis
te bene-ivada tori recreet, O recreet!

Lm̄q; F.

JOH. MICH. Dilhere P. P. Coll.
Phil. p. t. Decanus.

II.

A Rnstadij Rector STECHAN præclare Lycei,
Eusebics, sophies nobile delictum,
Quando Magistralis decorat tua tempora laurus,
(Laurus, quæ nullo est in teritura die,)
Salaidcs Muxæ certatim pectore læto
Applaudunt, nec non prospera quæq; vovent.
His plausu votumq; meum conjungo, precesq;
Qui venit ex merito non malè cedit honos.

Amicæ gratulationis
ergo F.

JOH. GERHARD, D.

III.

Puncta secunda loci meritis, Stechane, Magister
audis. Hacce precor puncta secunda sient.

JOH. HIMMELIUS D.

A 2

Scrupus

IV.

α)

|ω

Scrupus Arithmeticus ΕΥΚΛΕΙΔΕΩΣ.

Quo Te, Virtutemq; tuam, mens una Senatus
Philosopho maectat, DILLHERRO interprete, gratori,
STECHANI, nomen: nomen, quo augustius ullum
Cæsareo indultu donare Academia nescit.
An quodnam quæris? *Octona* elementa figurant.
Colligat, arte potens numerorum, rite Logista.
Do cubum, faciunt quem septingenta novemq;
vigintiq;: hujus inventa dat ordine *quartum*
radix: hanc duplica, *quinti* se prompta figura
sistet: dimidium huic si demseris atq; bis unum,
tertia prodibit mox littera: *Prima* patescet,
si, centum quadraginta quatuorq;, quadrati
investigetur latûs: huic lateri addito quinq;
Ultima præstò aderit: cui si subtracta sit apte
prima, elementorum linquetur *septima* forma.
Hanc triplica formam, & factum binis bis adauge,
noveris hinc *sextam*: restat nunc sola *secunda*,
quam quintâ facilis manifestat sexta minuta.
Nominis hoc auctu grandi lætare, MAGISTER
STECHANI, inq; Dei laudem Scholicæq; juventæ
frugem cresce! Tibi hinc quoq; laudis adorea crescet.

Fac. gratul. ergò l. inq;

PHILIPPUS Horst P. P.

V.

Ὀνοματογραφία:

STECHANE σεγανὸν te Græco Idiomate ἡ ἵχθω
aëris & linguæ filia, jure vocat.
Multas nempè σεγας lustrasti hinc inde scholarum,
hisq; tuo studio factus es αὐτότεγος

Arnsta-

Arnstadij ut Comitum Schwarzburg-Honstena Triga,
Hieraidum $\sigma\epsilon\gamma\epsilon\textcircled{\text{C}}$ te caput esse velit,
Et SALANA Magistralis $\sigma\epsilon\gamma\epsilon\nu\acute{\omega}\mu\alpha\tau\alpha$ ferti
det capiti, & digitis gemmea dona tuis.
Cuncta tuo obtingunt merito; secreta Sophiae
nam variae docto pectore tecta geris.
Nunc precor, ut profit ferti $\sigma\epsilon\gamma\omega\omega\sigma\iota\varsigma$ adusq;
albescant multa tempora nigra nive.
Et Schola sic crescat tua ab arte, $\delta\epsilon\kappa\acute{\alpha}\sigma\epsilon\gamma\textcircled{\text{C}}$ illa
quò fiat, $\sigma\epsilon\gamma\omega\nu\acute{\omicron}\varsigma$ sic mihi verus eris.

*Singularis benevolentiae ergò
factus*

á M. NICODEMO LAPPPIO
Ministerij Arnstadiensis p. t.
Seniore.

VI.

Adificaturus cautè rem tractat, & aptè
Ad legem Canonis fingere cuncta solet.
Nemo domus summam partem & juga summa figurat
Postremò medium & limina prima parans.
Limine sed posito, laterum velamina jungit,
Tandem tigna rotans applicat hæc trahibus.
Dumq; aliquem vultum accepit jam condita moles,
Fronde coronari culmina summa solent.
Rectè hæc observas Rector, juvenes puerosq;
Prima rudimenta haud te doevisse piget.
Nam sic stante basi, facili graviora labore
Excultis addes Dædalus ingenijs.
Ergò boni artificis tibi laus debetur honosq;
Ergò tibi meritò laurea sancta datur.

M. THOMAS Schmidt/
Pastor Dornheimensis.

Sie albis.

VII.

Sic albis præcurris equis? sic oscine fausto
 Suffragi Patrum Sophies locupleteqve puncto
 Jam ceromatico fers Niceteria collo?
 Scilicet ut verbo dicam, STECHANIUS unus
 In corbe es, reliquos artis certamine duro
 Qui punctim superando abigis. Non Tityrus Orpheus,
 Sub fago recubans qui bucera secula curat,
 Non quos Lemnus habet, quos Cæcuba vannus Jacchi,
 Quos Venus & cælus, Lydi quos gleba Metallii,
 Præmia tanta ferunt palmæ Sed florida tempe
 Rhetorices, Logicos syrpos, Physeosq; latebras
 Atq; Mathematicos positus, qui callet ad unguem
 Hic auri Vellus, Palmam, Laurumq; reportat.
 HANIUS in corbe es tu solus, ad omnia doctus,
 ANDREA, melius circa præcordia sangven
 Est tibi, cui melior meliori è marmore Mens est,
 Hinc Titulum huncce novum fers, Aurum hinc fersq; Tiaram.
 Macte Magisterij titulo, tibi gratior Aura
 Cæptis aspiret semper, tibi crescat in horas
 Partus Honor, profit Patriæq; Scholisq; Tibiq;.

M. HIERONYMUS FROBENIUS *Arnstat.*

In patria Cos. & Medicus.

II X.

Totus Amicorum numerus STECHANE tuorum
 Quam gaudet: læto persolvens prospera vota,
 Ore tibi dulciq; stylo pia carmina fingens;
 Quod Musæ dederint tibi nomina cæssa Magistri
 Gratulor ergo tibi summo Vir dulcis honore,
 Et precor inceptis aspiret Rector Olympi,
 Ut prosis longum doctas discuntibus artes,
 Utq; tuum toto clarescat nomen in orbe.

VALENTINUS Gröschell/
 Consul in Arnstadt.

STECHA-

IX.

STECHANI, Aonidum probate Myſta,
 Ad ſe quum merito redire flagrat
 Te immenſæ SOPHIES Jubat BEATUM,
 Quò claret fatius beata JENA,
 (Virtutis meritis beata ſedes:)

Exili volui rogatus, hocce
 Phaleucos calamò dicare cincto,
 Vialesq; tibi DEOS precari.

Sed quid tam ſubita vocationis
 Conſtans augurium velit rigente
 Sub brumâ, rigidò requiro verſu,
 Ad coetûs celebrem DOMUM beati?

Si dari licet & benè ominari?
 Expectant reducem ſuum Camœnæ
 Pugnacem vigilem ſatisq; Gallum:
 Quò multò ſtudiò & labore parta
 Criſtatae galeæ decora ſumat;
 Inſignire quibus ſolent ſupremas
 PHOEBI Delicias PATRES Salani,
 Auguſti COMITUM NOVEM Brabeutæ,
 Doctrinæq; probæ optimi Brabeutæ,

Hæc ſi vera tibi videntur eſſe,
 STECHANI, Aonidum novelle DOCTOR,
 Quæ verſu cecini lubens Phaleucò?

Nil reſtare mihi videtur! atq;
 Ut lætas quoq; comprecet: Supremus
 Æternæ SOPHIES tibi ſubinde
 Palæſtræq; tuæ gradus renaſci
 Honorem faciat decusqve famæ.

Ita ominabatur Arnſtetii

ACHATIUS Wening.

Parode

X.

Parode tentata ex Horat.

Carmin l. 3. odè 12.

Miserorum est, neque vulgaria nôsse
neque subtilia, Doctoribus artium
adamata, & tamen adscendere colles Heliconis.
Tibi, STECHANI, alius mos, alia est mens,
Tibi linguam artificem, dædala verba
studium adfert, labor & nox vigilata à puero usque;
eqves exurgis ad incendia, quæ bar-
barus ignis tulit, aptus mage & ipso
(sine dicam) melior Bellerophonte. *Arnstadiensis*
Schola tantos per apertum rutilantes
radios obstupet, & voce *Decani*
celebrem pulpita. *Jenæ* cata fecere *Magistrum,*

amico τειουσιώω

M. JOH. Theill Naumburg.

XI.

Virtutem posuere Dij sudore parandam :
Qui cupit hanc, comitetur eum sudorq; laborq;
Ergò non piguit libros trivisse Sophorum,
Necte pœnituit studiorum urfisse labores;
Hos etenim virtus sequitur : Sic itur ad illam,
Sudorem comitatur honos; Post nubila Phœbus
Surgit: propterea surgunt tibi præmia, honores,
Te bonus ambit honos: cinguntur tempora mitrà;
Te novus ambit honos: vociteris in arte MAGISTER
Hunc, quem promeruit sudor, tibi grator honorem
Et quò crescat honor, voveo: tu Nestoris annos
Vivas, opto; DEUS faciat rata firmaq; vota!

Ita gratulari suo Dn.

M. STECHANIO VOLUIT.

M. CHRISTIANUS ECKARDI SS. Theol. Studiosus.

Ad sva-

XII.

Ad suavissimum Dn. Collegam.

QUum certum tibi erat, binas conjungere Spon-
 ANDREA, cordis portio magna mei: (las,
 Tunc Spinturnici minimè; nec amore Pitheci Plaut, in
 flagrabas: oculus nec tibi lippus erat. Mil, A, 4.
 Idq; hodierna dies probat, & mox ritè probabit
 lux, quâ jungenda est altera Sponsa tibi,
 Cara SOPHIA fuit, formâ nitidissima Diva: :
 hæc tibi jam sancto fœdere juncta manet.
 Cara MARIA fuit, specie pulcherrima virgo:
 hanc tibi mox placidò fœdere JOVA dabit.
 Ergò tibi grator. Dominus tua cœpta secundet,
 ejus ut in laudem vergat utrumq; decus.

Lmq; scrib.

CASPARUS LUDOVICUS ALBERTI
 Scholæ Arnstatensis in patria ConR.

XIII.

GNAVUS in arte suo pergrata brabea reportat,
 Sed pigros laudum carmina nulla manent.
 ANDREA Aonias didicisti sedulus artes
 Volvisti & doctos dexteritate libros:
 Hinc jure insigni dignam virtute Tiaram
 Imponit capiti, docta Minerva, tuo.
 Huic, preclare, tuo Stechani grator honori,
 Prosit ut is patriæ, prosit & iste Scholæ.

AMBROSIUS EISINGIUS
 Scholæ Arnst, Collega.

B

Fato

FAto quis neget evenire cuncta
ANDREA Aoniæ Comes catervæ &
 Fato nonné tibi regenda nuper
 Demandata fuit Schola Arnstatensis?
 Nunc Fato titulus datur Magistri,
 Quo magnum decus addis huic Lyceo.
 Durum nomen habes, habes & omen.
 O **S**TECHEUS, quia Galle pungis omnes
 Qui sunt lividuli satis Scholarum,
 Ofores etiam artium bonarum,
 Hos tu punge ferociter pieq;
 Sic defende Scholas sacrasq; Musas,
 Ut scis eloquio gravis Magister,
 Dum nexa est capiti tuo corona,
 Sic fies celebris, tuumq;ve nomen
 Crescat perpetuò, tibi quod optat
 Ex corde Astijgraphus senex **Q**VIRINUS.

HESLINGUS Arnstatensis.

OMnibus ire licet, pariter sed adire Corinthum,
 Non nisi formatis de meliore luto.
 De meliore luto finxit Te diva Potestas,
 Et natura Tibi splendida dona dedit.
 Diceris **A**NDREAS benè fat cognomine **S**TECHAN,
 Quippe boni quicquam nomen utrumq; refert:
 Dat prius, impavide quàm puras hauseris undas
 Pieridum, plenè sisq; repletus ijs.
 Posterius monstrat, fixum quòd in ore geratur
 Semper epistomium, nectar ut inde fluat.
 Hinc per epistomium quasi, quod porrexit Apollo,
 Defluit ad plantas nectar ab ore Scholæ.
 Defluit ore Tuo nectar, nec deficis inde,
 Imò magis plenus laudis & artis eris.

Fortè

Fortè Tuis videar nisi sat tribuisse duobus
Nominibus gracili, ceu reor, hocce metro.
Id Tibi Sala Pater reddit vocitando Magistrum
Te *οφίας*, posthac ergò Magister ave.
Vive gradu felix ac antefendus es omni
Absq; gradu Docto, sit benè cuiq; precor.

honoris & amoris E.

mente manuq; congratulatur

Fautori suo desiderato

NICOLAUS EBERHARDI
Breitenbachio-Thur.

XVI.

Quod cupis atq; petis versus, clarissime Rector:
Jura Magisterij dedit hōc Tibi tempore JOVA.
Hinc cum laude geris tales Perdignus honores,
Donaris meritò palmā titulōqve Magistri.
Undè Tibi pariter grator nunc pectore & ore
Et precor, ut pergas cæptis rebusqve secundis.

JOACHIMUS CHRISTIANUS *Hellermani*
Arnst. SS. Theol. Stud.

XVII.

Ter benè felix
Jure vocâris
Docte STECHANI,
Nam tibi nuper
Sorte Deoq;
Dante volente
Sceptra Lycei
Arnstadiani
Sunt data, summos
Jamq; Magistri
Incluta Jena
Dat tibi honores.

Mox quoq; bellam
Jova puellam
Asfociabit.
Quum pietas nunc
Summa requirat
Dicere vota
Ergò Magistri
Jam tibi Rector
Grator honores:
Et rogo tandem
Semper ut adsie
Regis Olympi

B 2

Gratia

Gratia tecum, Quæq; faventque
Christus Jesus: Jam tibi amica
Cæpta secundet, Corda piorum
Spiritus almus Corde precor sint
Ducat euntem. Hæc rata vota,
Quæq; voventque Faxit JOVA.

CHRISTOPH-HENRICUS Anschütz

Arnstadiâ Tyrigeta.

XIIX.

Tertius ex illis ego sum, qui lixivimus olim
tres gratum patriæ, frater amice, solum,
ex juvenili animo peregrinas vilere terras,
atque novô Musas exhilarare loco.
Unus peste gravi ad plures extinctus abivit,
nos voluit melior fors superesse duos.
Eja superfuimus! sed & aspera fata fuerunt,
ut quoq; præ vitâ mors magè grata foret,
Te tandem Fortuna bonô respexit ocellô,
prôque malis tantis optima quæq; dedit.
Nam dedit officium, cum certâ sede, gerendum,
& jam te summo Phœbus honore colit,
quippe tuo capiti præponit laurea lerta,
inque Magistrorum te facit esse gradu.
Lætor, & ex animo tales tibi grator honores,
& precor, ut fors hæc sit diuturna tibi.

Ita fratri tuo carissimo

HERMANNUS Weinecker

Bocnemensis Saxo, bonarum

Artium Studiosus.

STECHA-

XIX.

STECHANI, *sophies favor*
quem jam tergemini tollit honoribus,
Cui **DILLHERUS** Apollinis
Interpres viridanti endopedit caput
Serto: quid labor improbus
possit, sedulitas quid studiis sacra
Jam sentis. Voveo bona,
Splendoremq; DEUS prosperet apprecor.

DANIEL LENICERUS,
Rondburgo - Misnicus.

XX.

PHœbus interdum premitur tæteqve,
Fit tamen tandem, tenebris fugatis,
Clarus, & spargit radios per omnes
jugiter oras.
Presfa sic virtus nimium, resurgit,
Atq; fortunâ malè tracta, tandem
Infitam dispergit amœnitatem,
tempore justo.
Hoc tibi, dulcis, quoq; mi STECHANI,
Accidit. Virtus tua, jam per annos
Plurimos fato latuit sinistro
atqve maligno.
Indoles nunquam tibi promptioris
Defuit mentis, neq; te Minerva
Docta decepit, tibi quum dedisset
munera mentis.
At, superbire ingenio recusans,
Auream semper mediocritatem.

B 3

Tutius

Tutiùs servare tibi putásti
non sine laude.

Nunc abest lustrum, & simul annus unus,
Quum tibi noster dedit esse primum
Strubius, motus studio, tuaq;
arte sagaci.

Jam tibi laudem tribuit secundam
Ecce Dillherrus, Sophies Decanus
Clarus; hic doctis locus eruditus
semper habetur.

Quod tibi Phœbus tribuit Salanus
Præmium laudis, velit esse felix,
Qui regit cunctum moderator orbem,
Christus Jesus.

Ita conterraneo suo, fautori ac amico veteri gratulatur

LÆVINUS DRÖSEMEIERUS

Saxo, Philosoph, Studiosus.

XXI.

SÆpius audivi, Stechani, Clare Magister,
Laudari ingenij maxima dona tui.
Non sum deceptus, vicit præsentia famam,
Vox tua testatur, binaq;ve scripta probant.
Quod dico, præses testatur Apollo Salanus,
Hinc tibi jam lauro tempora docta micant:
Insuper & digitus croceo jam splendet ab auro,
Quod tibi promeruit sedulus ipse labor.
Hunc tibi, qui nuper certus mihi factus amicus,
Gratulor ornatum, crescat ut opto magis.

Ita gratulari voluit,

SEBASTIANUS Himmel.

Witzelrodâ Thur.

Niqvoq;

XXII.

Niqvoqve lætarer Tecum, Præceptor amande,
Ingratus, sed stat mens mihi grata, forem,
En verè lætor, gratâ Tibi menteqve grator,
Clara Magisterij cùm Tibi palma datur.
Hic Te dignus Honos, Sophiae Eusebiesqve politum
Quam studium meruit non sine laude Tibi.
Vive igitur felix hoc auctus honore Magister.,
Ut profisqve Scholis, vive valeqve diu!

Ita gratulatur Præceptori suo
olim fidelissimo

FRIDERICUS MULLERUS *Jenensis.*

XXIII.

ANDREAS STECHANIUS

in gratiam sui & irrisoris,

της κορωνίδος, tali ludit

Anagrammate.

HANC AN RE? SI DEUS, SAT.

Εκ γεσις.

Hanc an re? *carpam, si me vis querere, Laurum;*
hoc tibi responsum, Lector amice, refer:

Non res hoc suasit, non ambitiosa voluptas.

SI DEUS *hanc me vult laude nitere, SAT est.*

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.

1
XVII
FRIEDRICH MULLER'S
XVII
ANDREAS STECHANS
XVII
HANS AK
XVII
GOLD
F. M. S.





itū,
itū,
a,
a
cat,
RUS
us,

R
Admod
JOH
SS, Theo
rimo,

M. JOH
Poët,

Dn.
Be

Summus

Decant

ERFFURT
DC. XXXIV.

CO,
& Clariss
IORE
ore ceber-
rinten-

no,
HERRO
nâ PP,

NIO,
sta-

Magisterij

toribus,

11.

